



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCXXIV. Ioannis Papae VIII. Ad Notingvm Novariensem  
Episcopvm. Monet, vt res Angelbergae restituat; sin minus, denuntiat illi  
excommunicationem, nisi intra duos menses ad reddendam de his ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

qui ex his, quæ fecit, aliquid firmum esse dixerit, Anania & Sapphira anathemate feriendum fore censemus. *Att. 5.*  
 Nam si cuiuslibet consilio, vel hortatu, aliter facere, non de præfenti ipsum inuasorem abiicere studueritis, atque hunc, quem nos consecrauimus vobis, alacri cum voluntate non receperitis, omni ecclesiastica vos communionem priuabimus, dignoque anathemate feriemus. Data vt supra.

## EPISTOLA CCXXIV.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD NOTINGVM NOVARIENSEM EPISCOPVM.

Monet, vt res Angelbergæ restituat; sin minus, denuntiat illi excommunicationem, nisi intra duos menses ad reddendam de his rationem Romam veniat.

*Notingo Nouariensi episcopo.*

**A**VDIVIMVS te res spiritualis filia nostræ Angelbergæ Augustæ iniuste tenere, quas volumus, & apostolica auctoritate præcipimus, vt continuo reddere studeas: & quod tibi retinere debere nulla lege conceditur, sub omni celeritate dimittas, vt ei, cui pertinere videntur, his perfrui modis omnibus liceat. Nam si continuo præfatas res non reddideris, monemus, & apostolica auctoritate præcipimus, vt intra spatium duorum mensium Romam ad reddendam pro his rationem occurras, & coram nobis congruam satisfactionem exhibeas: alioquin tamdiu excommunicatus existas, quamdiu huic nostræ commotioni obtemperans, hæc quæ statuimus adimplere procures. Data XIV. Kalendas Nouembris, indictione XIII.